



Jus Canonicum Practice Explicatum

Seu Decisiones Casuum Ad Singulos Decretalium Gregorii Papæ IX. Titulos,
& ad Consuetum Referendi Modum accommodatæ

Complectens dimidiam Decretalium Partem, videlicet nonaginta duos
Titulos, nimirum usque ad Titulum XX. Libri de Feudis exclusivè

Pichler, Vitus

Ingolstadii, 1728

Decisio VI. De Electionem sibi procurante per pecunias, fictè quidem
promissas, postea tamen solutas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62305)

TITULUS VI.

De Electione, & Electi Potestate.

DECISIO VI.

De Electionem sibi procurante per pecunias, fictè
quidem promissas, postea tamen solutas.

Honorius sicut gentilitio stemmate clarissimus, ita præclaris animi dotibus conspicuus, Ecclesiæ Cathedralis Canonicus, post obitum Episcopi magnis ad Insulam desideriis anhelabat: at quia noverat, in eodem gremio alium in paucis egregium, ac inter Capitulares summa auctoritate pollentem existere, quem *Honoratum* vocamus, hunc suspicabatur in futura Electione, vel fortem æmulum, vel saltem obicem haud modicum futurum. Igitur, ut ad suas hunc pertraheret partes, promissis aggressus est, minimè dubius, quin, si hunc nancisceretur promotorem, utpote à cuius consiliis & propensione plerorumque Canonicorum vota quasi suspensa propter singularem viri auctoritatem non ignorabat, facile, & sine eo vix ac ne vix quidem, conscensurus esset thronum Episcopalem, quo tamen (seclusa ambitione) dignissimus erat. Ut autem evitaret Simoniam, & in adepto fastigio sua opinione securus

esset, hanc stropham excogitavit: fictè & sine animo persolvendi promisit Honorato tria millia aureorum, sed clam & sub archissimi silentii sigillo, si cum sua factione, ut vocant, seu cum cohorte Capitularium ab Honorati nutu dependentium ad suas Honorati partes transfret, & sic ejus Electionem procuraret. Honoratus aureo captus promisso obsecundavit, & cum suis Assellis facili negotio effecit, ut Honorius longè ultra medietatem votorum ferret in Scrutinio, Electus proin est Honorius, promulgatus, confirmatus, & successivè consecratus in Episcopum, quin tamen, quod promiserat, effectui daret. Memoriam, at modestè ac timidè, factæ promissionis Honoratus refricabat quidem iterum iterumque Honorio, at furdo; donec tandem exulceratus post integri anni moram acriter imò importunè exigeret Honoratus solutionem 3000. aureorum, eoque permovit Honorium, utique metuentem,

tem, ne Honoratus querelas suas vulgaret in sibi faventes. Canonicos, hi in alios, & sic fraus sua & vitiosa electio evaderet publica, ut dictam summam exsolveret. Jam

Queritur I. An promissio rei temporalis pro spirituali ficta & simulata

QUÆSTIO I.

An promissio ficta & simulata rei temporalis pro spirituali sufficiat ad Pactum Simoniacum?

Non desunt graves Doctores apud P. Friderich in hac Ingolstadiensi Cathedra prædecessorem Colendissimum, qui præclarissimos edidit tractatus, nempe de *Emptione-venditione*; de *Decimis*; de *Foro competente*; & de *Simoniam*; apud P. Melchiorem Friderich, inquam, in *cit. tr. de Simoniam c. 2. n. 23.* videlicet Petrus Navarr. Emman. Rodriq. Cajetan. Sorus, Escobar, Suar. Tolet. Less. & Palao *tr. 17. d. 3. pun. 6. n. 2.* ac alii, qui putant, non sufficere, ac proin pœnas in Simoniam statutas non incurri, ex hac potissimum ratione: fictè promittens caret animò dandi temporale pro spirituali: ergo non habet animum emendi spirituale: ergo non committit Simoniam, cum Simoniam definiatur esse *studiosa voluntas emendi spirituale*. Confirmant. Ubi non intervenit pretium temporale, non committitur Simoniam: Sed in ficta promissione pretii temporalis non intervenit pretium temporale: quod enim illud? vel enim rationem pretii habet

sufficiat ad pactum Simoniacum constituendum? II. An hoc supposito præfata Electio ita fuerit invalida, ut nec in foro conscientie potuerit acceptari, & retineri Dignitas Episcopalis ab Honorio?

temporale promissum? & hoc non; quia fictè promittens non habet intentionem illud solvendi: vel ipsa promissio? & ista adhuc minus; quia non offertur ut pretium, sed est mera conditio, sub qua offertur pretium simulatè tantum.

Verùm ego non dubito subscribere sententiæ existimantium, in tali casu, ubi ex parte unius tantum sit ficta promissio (aliud foret, si uterque paciscens fictè promitteret, eò quòd in utroque abesset intentio dandi temporale pro spirituali, & sic Simoniam quoque mentalis deficeret; quapropter nec actus exterior esset Simoniam conventionalis; cum hæc absque mentali nequeat subsistere) committi verè Simoniam. Navarrus, & Gonet apud & cum laudato P. Friderich *n. 24.* Quod sic probo I. per promissionem seriam verè committitur Simoniam: ergo & per fictam. *Cons. prob.* ideo per seriam committitur, quia per illam paratur via ad obtinendam rem spiritualem. S. Th. 2. 2. q. 100. art. 2. ad 5. & com-

& communiter alii, seu quia per promissionem seriam pretii temporalis non minus comparatur spirituale, quam per actualem solutionem: sed hæc ratio pugnat etiam in promissione ficta; quia per hanc non minus acquiritur & comparatur spirituale (uti in præsentem obtentum & comparatum est) ac per seriam, & ratio dandi spirituale æquè est pecunia promissa. II. Non minus corruptio Judicis fit per promissam fictè pecuniam, ac per seriò promissam: ergo etiam non minus fit Simonia per pecuniam fictè, ac seriò promissam; quod enim in Judiciis est corruptio in ordine ad obtinendam sententiam, id in obtinendis beneficiis Ecclesiasticis est Simonia, & utrobique pecunia, seu seriò seu fictè promissa, operatur idem. Hoc fateor, quòd supposità benigniore mihi que probabiliore sententia, quòd pœnæ Juris non incurrantur nisi per Simoniam realem, seu nisi ex utraque parte fiat executio, & tam temporale quam spirituale utrinque sit datum & obtentum, in hoc casu, saltem nisi ex postfacto detur etiam temporale, pœnæ in Simonicos latæ non contrahantur.

Ad rationem Adversantium dico; quamvis fictè promittens careat animò dandi temporale pro Spirituali, non tamen caret animò per temporale obtinendi spirituale, ac per pecunias sibi viam parandi ad Dignitatem Ecclesiasticam, quæ est aliquid spirituale seu spirituali annexum; quod juxta communem jam est Simonia, sicut est corruptio Judicis, si per fictè promissas pecunias obtineatur sententia, & ad hanc via paratur; cum idem operetur ficta & seria promissio. Aliud utique foret, si spirituale non obtineretur; tunc enim attentata, non consummata, foret Simonia, sicut si promissio seria pecuniarum non obtineretur actu spirituale. Ad *Confirmacionem* ajo: rationem pretii & motivi habet temporale fictè promissum; quia pecunia fictè promissa idem operatur, quod seriò promissa: sicut idem operatur pecunia seriò promissa, quod actualiter soluta, & merè duntaxat promissa non minus habet rationem pretii, quam actu exsoluta. Reflectatur ad corruptionem Judicis per pecunias fictè promissas.



Questio.

QUÆSTIO II.

An præfata Electio ita fuerit invalida, ut nec in foro conscientie potuerit acceptari & retineri Dignitas Episcopalis ab Honorio?

Rationes dubitandi.

Facta hypothefi, quod electio, de qua agimus, fuerit Simoniacæ, utique confectarium est, iniquæ, eam esse nullam, non modò pro foro externo, ita ut, si res deferretur ad Judicem, iste eam velut irritam declarare debeat, sed etiam pro foro interno, ita ut electus nec acceptare, nec retinere Prælaturam bonâ conscientia valeat; siquidem 1. Hæc Simonia est Juris Divini, seu Jure Divino & Naturali prohibita, ut tenet communis cum Suarez ex *can. si quis 7. caus. 1. q. 1.* ergo & in foro conscientie est nulla. 2. Res spiritualis, vel spirituali annexa, uti sunt Beneficia & Dignitates Ecclesiasticæ, quæ sunt annexæ officio spirituali & ministeriis sacris, non est in dominio & commercio hominum: ergo validè pro pretio dari de Jure Naturali ac Divino nequit, præsertim cum Deus jubeat *gratis dari, quæ gratis accipiuntur.* 3. *Qui non intrat per ostium, fur est; & latro,* ait Jus Divinum à Christo promulgatum: sed qui per pecunias sibi comparat & parat viam, ac ingreditur in Episcopatum, velut ovile Christi, intrat non per ostium legitimæ electionis: ergo fur est & (R. P. Pichler Decisiones.)

latro: ergo de Jure Divino non acquirit Dominium vel quasi Episcopatus, sicut fur non acquirit Dominium rei furtivè obtentæ. Sed quid sit de Jure Divino, saltem

4. De Jure Ecclesiastico Simoniacæ electio est irritata non pro foro externo tantum, sed etiam pro interno. *Extrav. cum detestabile 2. de Simon. int. Com. ibi: per electiones--- quas Simoniacæ contigerit labe fieri, & quæ viribus omnino careant in Ecclesiis--- cuiquam jus nullatenus acquiratur, nec inde aliquos faciat fructus suos, sed ad illorum omnium, quæ percepit, restitutionem sub animæ suæ periculo sit adstrictus.* Notentur verba *nec faciat fructus suos, & sub animæ suæ periculo.* Nec est, cur hæc irritatio, pro foro etiam animæ statuta, restringatur ad Simoniam publicè notam, ut DD. communiter secundum Jura antiquiora verum fuisse putant; quia in *cit. extrav.* expressè etiam extenditur ad *occultam* provisionem beneficalem Simoniacam.

5. Si hæc Ecclesiastici Juris, pro foro interno irritantis electionem Simoniacam, dispositio in præfati casu non procederet, tunc forsan vel ideo, quia

G

quia hæc irritatio est pœnalis: pœna autem, consequenter & irritationes pœnales non incurruntur in foro interno ante sententiam Judicis: sed hæc ratio nulla est; quia irritatio electionis Simoniacæ, vel alterius provisionis Beneficialis, non statuta est in *cit. Extrav.* tanquam mera & simplex pœna, sed simul etiam, & principaliter tanquam inhabilitas electi aut provisi ad obtinendam Prælaturam aut Beneficium, fructusque consequendos, quos velut rem alienam, quorum dominium nunquam obtineri voluit, restitui iussit: rem verò alienam, quam quis de Jure suam facere non potest, oportet utique ante omnem sententiam Judicis restituere ex obligatione in conscientia. Vel non procederet

6. Ideo, quia pœnæ in Simoniacos statuta, inter quas prima est nullitas electionis & provisionis beneficialis, juxta communem sententiam non stringunt, nisi Simonia sit realis, h. e. nisi utrinque sit secuta traditio, & rei spiritualis, & pretii temporalis: in præsentem autem, quamvis obtentum sit spirituale, seu Episcopalis Dignitas, pretium tamen temporale non est datum, sed promissum duntaxat, & quidem fictè tantum. At nec ista ratio sufficit ad conciliandum huic electioni Simoniacæ valorem pro foro interno; partim quia longè probabilius & Juri conformius est teste P. Friderich. c. 5. n. 204. pœnas incurrere, modò res spiritualis sit data & obtenta, licèt pretium non

fit solum. per *can. 5. caus. 1. q. 3. c. 2. de Confess. c. 27. 45. de Simon. Extrav. cit. Constit. damnabile Martini V. & Constit. cum primum S. Pii V.* Atque sic sentiunt S. Thomas 2. 2. q. 100. art. 5. & 6. Cajet. Sol. Valent. Tolet. Garc. & alii plurimi. Quidquid autem sit de aliis pœnis, excommunicationis &c. saltem nullitas juxta plerosque incurritur per Simoniam conventionalem mixtam, in qua tantum res spiritualis est tradita, licèt pretium non sit solum. Petr. Pafserin. de Electione c. 7. n. 349. 352. seq. partim quia in hoc casu saltem ex postfacto secuta est solutio pretii quoque, ita ut Simonia realis fuerit completa; si enim ex post, quamvis longum post intervallum, illud solvatur, pœnæ (consequenter & nullitas pro foro interno) retrahuntur ad tempus pactionis, ac propterea fructus interim percepti debent restitui cum Prælatura vel Beneficio dimisso in foro conscientia. Navar. in *Man. c. 23. n. 103. 104.* Sanch. l. 2. *Consil. c. 3. dub. 106. n. 7.* Lessius de *Just. l. 2. c. 35. n. 151.* partim denique quia, si hæc Electio supponatur fuisse Simoniaca, hocipso electus jam fuit excommunicatus: sed excommunicatus est inhabilis ad validè consequendum beneficium vel Prælaturam Ecclesiasticam pro utroque foro. c. 7. *§ fin. de Cleric. excom.* ergo.

7. Electio indigni est aded nulla, ut ne quidem in conscientia tribuat jus, quia eligentibus à Jure non da-

ta est potestas eligendi indignum, & actus à non habente potestatem agendi se habet, sicut actus omnino non gestus: sed labe Simoniaca infectus de Jure est indignus, ut nemo negat: ergo. Nec denique

8. Honorium in conscientia securum reddit, quòd unicum duntaxat ex electoribus corruerit promissâ pecuniâ, consequenter à majori parte, omnis Simoniacæ labis experire, fuerit electus. Nam huic effugio valide reclamatur textus in *c. nobis 27. de Simon.* ubi penitus reprobanda dicitur electio, licet uni tantum ex electoribus promissa fuerit pecunia, etiam ignorante electo: ergo à fortiori, si ipse electus promisit, uti hic contigit. Panormit. *ad c. cit. n. 10.* Nav. Garc. & alii apud Passerinum *lo. cit. n. 310.* Præsertim id procedit, si ille unus, Simoniâ corruptus, sit tantæ auctoritatis, ut reliqui, qui majora suffragia conficiebant, ipsum

secuti sint, uti planè in hoc facto Honorati auctoritas reliquos traxisse, Honorius verò id spectasse per promissas pecunias rectè creditur: tali enim casu empto unius voto omnia sequacium vota censentur empta fuisse. Quid quòd Honoratus, uti credibile est, promissâ pecuniâ permotus, rogando, intercedendo, commendando Honorium fuisset causa moralis & movens, ut reliqui in ejus electionem conspirarint? Certè hoc modo intervenisset munus à lingua, ut vocant, & preces emptæ, quæ fuerunt causa electionis Honorii, omnes ejus electores labe Simoniaca infecerunt, &, quod indè sequitur, electionem effecerunt Simoniacam & invalidam omni ex parte. per *can. 3. caus. 1. q. 5.* Communis cum S. Thoma 2, 2. q. 100. art. 2. ad 5. qui enim emit preces &c. virtualiter censetur emere electionem ipsam, tanquam virtualiter in illis contentam.

Rationes decidendi.

Non diffiteor, magnam hæc argumenta veri speciem præferre, ut adeò non modicè hæserim, an non velim manus dare. Quia tamen commodam ex una responsionem admittere mihi videntur, ex altera verò parte standum regulariter est pro valore actus, maximè pro foro conscientie, & nulla obligatio asserenda, quæ convincenter probari non potest, ac insuper leges irritan-

tes, præsertim pœnaliter, odiosæ sunt strictæque interpretationis, Honorium licitè non modò acceptare, verum etiam retinere Prælaturam Episcopalem potuisse existimo, &

Probo I. Negativè; quia non sufficienter ostenditur nullitas hujus electionis, saltem pro foro conscientie, aut obligatio non acceptandi aut non retinendi Episcopatum.

Probo II. Positivè. Pœnæ in Simonia-

moniacos statuta à Jure, quas inter & præcipua est nullitas provisionis in materia beneficii, probabilis non incurruntur etiam pro externo, ne dicam pro foro interno, nisi Simonia sit realis, & consummata ex utraque parte, ita ut non solum spirituale, nimirum Dignitas vel Beneficium Ecclesiasticum debeat esse datum, sed etiam pretium temporale actu solutum, scilicet extra casum Simonie Confidentialis. Sic sentit cum Navarro magnus Suar. *de Simonia c. 57. n. 51.* P. Friderich. *de Sim. n. 214.* & alii plurimi, quos referunt Guttierrez *Canon. qq. l. 1. c. 9. n. 14.* Garc. *de Benef. p. 8. c. 1. n. 19.* Passerin. *c. 7. n. 162.* Palao *disp. 3. pun. 22. n. 4. tract. 17.* se fundantes in Stylo Curie Romanæ, & consuetudine communiter recepta, & in *Extrav. 2. h. t. int. Comm.* ubi poenis subjiciuntur *dantes & accipientes*: ergo hæc electio fuit valida, & cum aliunde non prohibeatur reus Simonie electionem validam acceptare, non est, cur Honorio scrupulus fiat de acceptata electione. Confirmatur. In hac hypothese Honorius solummodo fidei promisit pecunias: quo casu extra controversiam esse ait Suarez *n. 55.* quod collatio vel electio sit valida, & in effectu obtineatur Beneficium vel Prælatum. Quod igitur licite acceptaverit electionem Honorius, videtur planum esse. An verò post solutum postea pretium retinere potuerit, major est difficultas; siquidem Navar. & Suar. *n. 53.* alique observant, quod, si postmodum solvatur

pretium, & sic realis consummetur Simonia, nova obligatio inducatur relinquendi Beneficium vel Prælatum in conscientia, ipso facto, & nullâ expectatâ sententiâ. Sed nihilominus, etiam post datum pretium, fidei promissum, censo Honorium non fuisse obligatum ante sententiam Judicis dimittere Episcopatum, & cum P. Friderich *n. 214. cit.* sic arguo, & intentum meum prosequor, ac

Probo III. Tota Simonie malitia consistit in hoc, quod aliquis paciscatur de dando vel acquirendo spirituali pro temporali: atqui hoc fit per solum contractum & per acceptance[m] spiritualis pro temporali, neque subsequens solutio, aut impletio contractus per solutionem, continet novam & specialem simonie speciem: ergo secuta solutio non est Simonia: ergo per illam primum post notabile tempus secutam, postquam nempe electio, & in nostro casu etiam Confirmatio, imò etiam Consecratio, adeoque plena provisio jam in suo esse completo fuit perfecta & valida, ista non redditur irrita; nam provisio beneficii solum redditur irrita ac nulla propter Simoniam realem, quæ in ipsa moraliter provisione realis non erat, cum provisio jam ante solutionem pretii perfecta & completa fuerit. Confirmatur: Difficile est captum, quod solvens pretium promissum deterioris sit conditionis, quam alius, qui non solvit, & lucrum ex sua astutia & malitia reportat, cum uterque promittendo commiserit Simoniam: ergo, si non solvens

vens retinere prælaturam potest, etiam poterit, qui post notabile tempus, & moraliter præteritam Simoniam solvit, præsertim cum aliàs, si temporale detur primum post obtentum spirituale interpositio morali temporis intervallò, præsumatur abesse intentio Simoniacæ & temporale datum esse ex liberalitate, gratitudine, vel alia justa causa, ut habet communis cum Suar. c. 26. n. 14.

Probo IV. Potuit Honorius dedisse pretium fictè promissum ad redimendam vexam injustam Honorati, ne nimirum ob lucrum, quod sperabat ex præstita Honorio opera, & sibi forsitan saltem ex fidelitate deberi credebatur, modò non obveniens, querelis aliorum aures velleret, & sic rem faceret publicam, quæ ipsum inter & Honorium clam tractabatur; tunc enim dicitur pretium dari ad redimendam vexam, quando jus jam est absolute quæsitum ac certum (ut Honorio per electionem & subsequentem confirmationem plenè, absolute, ac certò fuit quæsitum) & quando alter non habet jus ponendi impedimentum, quale revera non habuit Honoratus; siquidem injustè propalatur delictum occultum, & promissio, etiam seria, utpote invalida, jus ipsi non tribuisset. Si autem ex ista causa potuit dedisse pretium, ex eadem datum esse credendum est, ut evitetur delictum & poena; nam illud nunquam præsumi, hæc autem nunquam asseri debet, ubi benignior interpretatio locum invenit. Sed si temporale datur præcisè ad redimen-

dam vexam, non committitur Simoniam, consequenter non inducitur poena in Simoniacos lata, ut habet communis cum Suar. c. 50. & P. Fridrich c. 2. à n. 88. quia tunc temporale datur pro temporali.

Probo V. Potuit Honoratus tum sua auctoritate, tum explicando præcisè merita Honorii, sine precibus & commendatione alios permovisse ad Electionem Honorii; & hoc præsumendum est in dubio, ut evitetur Simoniacæ electio: Sed si hoc, electio, saltem pro foro interno, non est habenda pro Simoniacæ, & nulla; si enim uni duntaxat promittatur pecunia, cæteri autem, quorum suffragia sufficiunt ad Canonicam Electionem, innocentes sunt, & Simoniam corruptus non negotietur electionem per preces & commendationes, electio non censetur esse Simoniacæ, vel evenisse ex vi conventionis Simoniacæ, & ideo nec irrita, præsertim pro foro interno. Passerinus n. 311. 335. cum aliis. Si autem electio tali casu non est Simoniacæ & nulla pro foro saltem interno & ante sententiam, multò minùs fiet Simoniacæ & nulla per solutionem subsequentem, ex post eidem unico factam: ergo non obstante pretii solutione secuta retineri ab Honorio Episcopatus potest.

Probo VI. Quamvis juxta nos promissio ficta consiliuat Simoniam; tamen non exstat ullum Jus, quod provisionem dependentem à tali promissione secutam irritet, præsertim pro foro interno, licet postea solvatur, quod fictè promissum est. Et Doctores,

qui superius censuerunt, per solutionem ex intervallo secutam confluitur Simoniam realem, & poenas, etiam nullitatis, pro utroque foro induci, non loquuntur de promissione ficta, sed de seria; unde nec ab auctoritate DD. probatur nullitas provisionis, propter quam debeat statim dimitti Prælatura, Beneficium; imò Suar. c. 57. cit. n. 56. in fine. videtur insinuare contrarium. Ceterum in sententia illorum Doctorum, qui putant promissionem fictam non sufficere ad constituendam Simoniam, quorum numerus notabiliter excedit Pa-

tronos nostræ sententiæ, nam ultra illos, quos q. 1. supra recensui, huic opinioni favent Raphaël de Turre, Aragon. Rodriq. Valent. Bonac. Ferd. à Castro, Filiuc. Villalobos, Gibalin. Laym. apud & cum Passerino n. 102. Item Pirhing, Wiestner, & Schmalzgrueber, in horum, inquam, sententia per se clarum est, quòd non obstante solutione secuta, quæ, ubi nulla præcessit Simonia conventionalis, utique realem efficere non potest, licet acceptetur, & retineatur Prælatura per fictam promissionem pecuniæ obtenta.

Respondetur ad Rationes Dubitandi.

AD I. & II. ajo, etsi spectato Jure Naturali ac Divino commissã sit Simonia, tamen non hoc ipso electio, per hujusmodi Simoniam obtenta, pro irrita Jure Naturali ac Divino est habenda; non enim omnia, quæ sunt prohibita, hoc ipso sunt irrita; & licet res spirituales vel spirituali annexæ, qualia sunt Beneficia & Prælaturæ Ecclesiasticæ, non sint in commercio humano licito, sunt tamen in commercio humano (præcisè stando in Jure Naturali & Divino) valido, ut homines quasi dominium & jus reale in illis habere valeant, ut patet in calicibus consecratis; nam res spirituales suo modo sunt illorum, qui de iis disponendi, & dispensandi potestatem habent. Passerin. n. 293. cum S. Th. & aliis communiter.

Ad III. Qui non intrat per ostium in ovile, vocatur quidem à Christo fur & latro, non quasi talis sit propriè, & per solum ingressum furtivum, sed quia talis ingressus denotat intentionem pravam furandi & mactandi. Sic etiam, si velimus hanc analogiam applicare ad ingressum in Ecclesiasticam Prælaturam, qui non eligitur eodem modo, quem præscribit Ecclesia & Jus Humanum, propriè fur non est, sed præcisè analogicè, propriè autem sacrilegus tantum est, qui per Simoniam ingreditur, spectato præcisè Divino & Naturali Jure, secundum quæ ad valorem electionis plùs non requiritur, quàm pluralitas votorum liberè datorum ab iis, qui præditi sunt potestate eligendi; nec talis peccat contra Justitiam, sed solum contra Religio-

Religionem. Restat igitur dicere, quòd à solo Jure Ecclesiastico sit inducta nullitas electionis Simoniacæ, & obligatio dimittendi Prælaturam, tanquam non suam, Jure Ecclesiastico imposita, sicut fur tenetur restituere rem furtò obrentam Jure Naturali.

Ad IV. Electio Simoniaca, etiam occulta, est quidem irritata pro foro quoque interno conscientia, sed solum quando Simonia est realis, & pretium temporale vel ante obtentum spirituale, vel immediatè post, aut simul datur, non verò quando temporale post notabile tempus exsolvitur, præsertim si illud detur ex alia causa, v. g. ad redimendam vexam injuliam, vel si promissio antecedens fuit solummodo ficta: item tunc est irritata pro foro etiam interno, quando majoritas votorum est obtenta ex vi conventionis Simoniacæ, quod non contingit, quando uni tantum, vel paucis, promittitur vel datur temporale, reliqui verò, qui sine illis faciunt majora, innocentes sunt, & ex alia causa legitima electionem Canoniam compleverunt; tunc enim pro foro interno vota Simoniacè empta habentur pro nullis in ordine ad inducendam nullitatem; quia de tali casu Jus Ecclesiasticum non statuit nullitatem ipso facto, saltem pro foro interno & ante sententiam.

Ad V. Verum quidem est, quòd nullitas pro foro etiam interno sit statuta à Jure Ecclesiastico, ita ut obligatio sit dimittendi Prælaturam, tan-

quam rem non suam, ante omnem sententiam, non obstante, quòd hæc irritatio aliquo modo pœnalis sit: sicut obligatio restituendi fructus ante omnem sententiam incumbit Canonicis, non residentibus, aut Professionem fidei non emittentibus debito tempore, non obstante, quòd hæc privatio aliquo modo pœnalis sit. Id tamen solum procedit, quando Simonia est realis, & electio ex vi conventionis Simoniacæ processit, ut paulò ante notavimus: quæ tamen in hujus facti circumstantiis non verificantur.

Ad VI. Etiam hæc est aliqua ratio, quòd nempe Simonia debeat esse realis, ut incurratur nullitas & alia pœnæ. At *N. Min.* licet enim fortè spectato Jure probabilius sit, sufficere, si tantum res spiritualis sit obtenta nondum solutò pretiò, spectato tamen Stylo Curia Romanæ, praxi, & communi sensu DD. longè probabilius debet accedere etiam actualis solutio pretii: id quod etiam procedit de nullitate, tanquam præcipua Simoniæ in Beneficialibus pœna. *Suar. de Simon. c. 57. n. 51.* P. Friderich *de Sim. n. 214.* & alii plurimi apud *Gutierrez, Garc. Palaum, & Passerinum c. 7. n. 162.* In hoc quidem casu postea solutio secuta est, at facere non potuit, ut retro annulletur, saltem pro foro interno, electio, ut in probationibus docuimus. Nec tempore electionis factæ excommunicatus existit Honorius; quia ex-

communicatio tanquam poena in Simoniacos lata non incurritur ante pretium solutum; quod tempore electionis necdum contigerat.

Ad VII. Quamvis labe Simoniaca infectus velut indignus eligi non possit, & Jura potestatem non tribuant, electoribus talem eligendi; electio tamen ipsa non est irritata à Juribus, nisi intervenerit Simonia realis, eaque ex vi conventionis Simoniacae evenerit, quorum neutrum hic verificatum est, uti probasse nos putamus. Deinde quamvis taliter indigno à Jure sit adempta vox passiva, non tamen est adempta electoribus, praesertim Simonia non infectis, vox activa, & potestas eligendi; quamvis pro casu Simoniae realis nullitas electionis ipso Jure & pro utroque foro sit inducta.

Ad VIII. Verius esse censemus, electionem valere, saltem pro foro interno & ante sententiam Judicis, si tantum unus vel alter corrumpatur

pecuniâ, etiam datâ, si reliqui innocentes faciant majora, & non per preces ipsius corrupti (quod in hoc casu contigisse non probatur) sed ex alia justa causa, v. g. ob propria ejus, quem eligunt, merita, qualia habuit Honorius, electionem fecerunt; nec videtur obstare exemplum Honorati, quem ut alii sequerentur, ejus auctoritas aliquid tribuere potuit. Multò minus inducet nullitatem corruptio unius per pecunias merè & fictè promissas, & non nisi ex notabili intervallo, ac ex alia causa, quam conventionis Simoniacae, postea solutae, illud *c. nobis 27. de Sim.* non est ad rem, quia ibi evidentissimè sermo est de nullitate primùm per sententiam imponenda, ibi: *Electio, tanquam Simoniaca pravitate praesumpta est penitus reprobanda.* Nec sufficienter doceri potest, hic intervenisse munus à lingua, uti insinuatam jam est.



TITU-